



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri Angelii Bargaei Commentarius de Obelisco**

**Angèli, Pietro**

**Romae, 1586**

Alivd Eivsdem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13181**

Nunc etiam creuisse datur : post quinq<sup>u</sup> ter acta  
 Secula, postq<sup>u</sup> nouem lustra nouatur bonos .  
 Transferor ex humili, Roma plaudente, recessu,  
 Et Vaticanos collocor ante gradus .  
 E' celsa iam sede altus super aethera tollor ,  
 Mons altus dicar dein , Obeliscus ero .  
 Hac edit mons vere altus miracula Xystus  
 Quid mirum ? Christi fungitur ille vice .  
 Ille Petri dignus successor, nomine, uotis ,  
 Atq<sup>ue</sup> ausis felix, hac modo sede locat ,  
 Imponitq<sup>ue</sup> Crucem radiantem uertice summo;  
 Ut petra hac Petra seruiat, atq<sup>ue</sup> Petro .  
 In Cruce suffixum Petrum, mandante Nerone  
 Vidi olim superi, quas ego cerno uices?  
 Deuictus Nero Tartareis miser ignibus ardet :  
 Cœlesti fruitur uictor honore Petrus.  
 Purpura, nomen, opes, fasces, ubi tecta Neronis?  
 Regnat in Urbe Petrus, datq<sup>ue</sup> negatq<sup>ue</sup> polum .  
 Nunc mea fors melior, Sol, Augustiq<sup>ue</sup> ualete ,  
 Me crux, me Petrus, me Deus unus habet .

## ALIVD EIVSDEM.

**R**OMA uetus cecidit, magni cedere Obelisci,  
 Cateraq<sup>ue</sup> ipsa sua mole sepulta iacent .  
 Inter ego infandas strages, Urbisq<sup>ue</sup> ruinas  
Inco-



Incolumis tacito numine solus eram.  
 Sed vicina mihi prospicuum tecta negabant,  
     Et proprias sedes alta tegebat humus.  
 In Vaticana Quintus me luce platea  
     Constituit Xystus, supposuitq; Crucis.  
 Cur ita? sic Petrus voluit, quem funere vidi  
     Crudeli extinctum, supplicioq; Crucis.  
 Laudibus ille crucem Christi, mortemq; ferebat  
     Mercedem laudis, retulit ille Crucem.  
 Hac in cæde iterum Christus vim pertulit, vndē  
     Illa fuit Christi crux, fuit illa Petri.  
 Sic in discipulo tenuit crux sua magistrum,  
     Me iuuat hinc summo uertice ferre Crucem.  
 Seruo quidem uanos testantia nomina cultus,  
     Respuo sed ueterum numina falsa Deum.  
 Ornabam Circum quondam uel septa Neronis,  
     Latoubi Christigenas impius ille dabat.  
 Nunc adem, tumulumq; Petri prospecto; piaq;  
     Instrumenta necis, quam tulit ipse colo.  
 Hoc Vrbs, hoc Orbis, deuicta hoc Tartara signo:  
     Inclita victricis gesto trophya crucis.

## P E T R I B L A N C A E.

**A**ltus monte Crucē gerit hāc Obeliscus ab alto.  
     Nunc mons vere altus, non Obeliscus erit.  
         Aliud.

